

Werk

Titel: Dissertatio Inauguralis De Catarrho Pharyngis

Autor: Vogel, Rudolf Augustin; Schroeder, Johann Conrad

Verlag: Hager

Ort: Goettingae

Jahr: 1765

Kollektion: vd18.digital

Signatur: 4 HLP IV, 26/5:1765 (26)

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN820226688

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN820226688>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=820226688>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

26

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
CATARRHO PHARYNGIS

QVAM
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE
EXPERIENTISSIMO

RVDOLPHO AVGVSTINO VOGEL

ARCHIATRO REGIO
PHILOS. ET MED. D. HVIVSQVE PROFESSORE P. O. ACAD. NAT. CVRIOS.
REG. SVEC. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. SODAL. PRINCIPAT.
GOETTING. PHYSICO MEDICAE FACVLTAT.
H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS
DIE XVI. SEPT. CLOI CCLXV.

H. L. Q. G.

DEFENDENT

AVCTOR

IOHANNES CONRADVS SCHROEDER
CASSELLA - HASSVS.

GOETTINGAE

LITTERIS HAGERIANIS.



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS
DE
CATAR^HO PHARYNGIS.

§. I.

Multos saepe vexare solet copiosa pituitae in faucibus collectio, quae plerumque Nauseam aliquam, maiorem minoremque, coniunctam habet, atque ad frequentem exscretionem sollicitat, qua quoad sufficiat peracta, molestia cedit. Vocemus hunc affectum Catarrhum Pharyngis; quandoquidem catarrhi nomine hodie, (nam aliter antiquitus comparatum fuit, ^{re} i) appellari consue-

i) quae de re, qui plenissime omnia concessit, videndus est *Conr. Viator. Schneider* in opere plurimum volumium *de Catarrbis*.

A

re eiusmodi pituitae circa haec loca congestiones: & re-
apse saepissime aliquid ex superioribus capitibus in
hoc malo destillat, quod voce catarrhi significatur.

§. II.

Erunt fortasse, qui *Branchum* dici iubeant hoc vitii,
secundum praeceptum Salernitanae Scholae,

si fluit ad pectus, dicatur rheuma Catarrbus,
ad fauces Branchus, ad nares esto Coryza.

Vero Brancho vel solam, certe praecipue, laryngem &
asperam arteriam affectam indicare receptum est, vel Rau-
cedinem, eiusdem laryngis vitium, eo vocabulo de no-
minare, quae etiam fere sine nausea est: contra noster
praesens affectus in Pharynge consistit, neque raucitatem
per se habet comitem. Si quis tamen *Branchum* Pharyn-
gis appellare malit, per nos licet. Ex galenicae discipli-
nae rationibus non incommode vocari posset *Intemperies*
Pharyngis Pituitosa: nouo autem nomine, sed non ad
antiquam compositionis rationem efficto, ab eiusmodi in-
ventionum amatoribus diceretur *Pharyngorrhoea*, quae
vero secundum graecae linguae usum dicenda foret *Phleg-
morrhoea pharyngis*.

§. III.

§. III.

In principio communia catarrhorum accidentia, pro vario gradu nunc leuius nunc grauius, infestare solent, nominatim grauitas & lassitudo corporis, maximeque fauicium, adeoque totius capitatis, quod etiam saepe dolet: simul mens & sensus torpent: aliquando leue frigus percipitur, deinde maior solito calor sequitur, ut febricula fiat: nauseat os, & quasi vomitum molitur: nonnunquam quasi strangulatione quodam spiritus intercluditur: vrina cruda est, & alius impedita, caet. Quae tamen omnia, pro successu excretionis pituitae, quae saepe usque ad vomitum pharyngis procedit, vel levantur vel ex toto tolluntur.

§. IV.

Euenire solet haec molestia potissimum in hominibus, qui phlegmaticae, sicut dicitur, sunt naturae, quie largioribus potionibus, praesertim vespertinis, indulgent: aetate virili. Gulae symptomata, ut nausea moliminaque exscreandi, respirationis oppressio, caet. maxime mane, per ieunium, & a potu calido sumto, incident; saepe tamen etiam media nocte, vel ante cubitum, & quoties aliquid cibi aut potus deglutiendum est.

§. V.

Sedes huius affectionis, Pharynx, ut ex anatomicis constat, a multis partibus conficitur, mucum & humo-

A 2 rem

rem pituitosum glutinosumue stillantibus: sunt eae partes Velum Palatinum, Vuala, Tonsillae, principium oesophagi, specialiter seu proprie Pharynx vocatum, caet. Obductae sunt hae partes membrana, sic dicta Pituitaria sive Schneideriana, glandulis & cryptis, pituitae mucique organis secerentibus & receptaculis, referta: ipsaeque tonsillae glandulae sunt. Inde humor viscidus copiosus propellitur, magisque etiam motibus partium in manducatione, deglutitione, loquela, similibusque exprimitur. 2) Et naturaliter in cauo fauci plurima perpetuo pituita praefens est, quod etiam in cadaueribus manifesto videre licet. Nam cauum hoc in primis praeter alias corporis partes opus habet eiusmodi humore viscido, quo scilicet partim defendatur ad asperis, duris, acribus, calidis nimium aut frigidis, aliae ratione laefuris, quae per cibum & potum assumuntur, atque hoc transeunt: partim ut perpetua mollitie conseruata, aerisque, iugiter vltro citroque meantis, exsiccante yi refracta, membranae muscularique rebus transeuntibus cedere rite possint, motibusque suis & actionibus obeundis apti manere. Est autem humor hic primum tenuior, deinde vero paulatim per aerem, exhalationem, transeuntia crassior redditur.

V.

§. VI.

3) Conf. A. F. WALTHERI & CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG diss. de Deglutitione naturali & praeposta, §. XXII.

Sed non hic mucus solus est, qui in pharynge residet: accedunt etiam multa ex cibis & potibus, quae in viscido humore haerent & materiam augent. Est enim pharynx velut vestibulum ventriculi, saepe sola vel praecipua sedes multarum affectionum, quae ipsi ventriculo attribuuntur.

Ipsa autem Pituita, quae praecipuam huius, sicut aliorum catarrhorum, materiem constituit, ex sanguine secernitur circum caput, & proprius circum fauces meante: & significatur eo, qui excretionem antecedere consuevit, dolore, vel saltim grauitate capitis & subiectorum locorum, hic humorem congestum haerere. Et pituitam omnium istorum esse causam proximam, eo patet, quod excreta pituita, cuncta ista cedunt. Docet autem anatome, quum ad vniuersum caput ingens copia sanguinis per insignes arteriae magnae ramos horumque innumera-biles propagines feratur, tum ad exteriores capitis & gulae partes non minimam eius sanguinis portionem diuertere: quam quidem abundantiam quoque multiplices earum partium functiones requirunt, vt consideranti facile est ad intelligendum. Magis pituitosum sanguinem ad exteriora capitis potissimum amandari, quum natura & motus humoris, vasorumque diuariationes inflexionesue com-

probare videntur, 3) tum id, quod hic locorum manifesto longe maxima talis humoris materia deponitur. Ad interiora vero nihilominus simul aliquid pituitosi superflui redundare, mentis & fensuum torpor indicat.

§. VIII.

Neque tamen ea tantummodo sanguinis portio, quae versus caput pellitur, pituitae materiem secum gerit, sed tota humorum moles; quod sicut propter fluidi homogenei mixtionem necesse est; ita totius corporis grauitas & laßitudo, febricula, vrina, aliaque, tum quod phlegmatici sic dicti huic incommodo maxime subiecti sunt, demonstrant.

§. IX.

Quod ad Phlegmaticam naturam, vnde procliuitas ad catarrhum nascitur, attinet, quum haec ipsa maior procliuitas ostendit, sanguinem in diuersis hominibus diuersimode mixtum esse, tum contemplatio eiusdem humoris, & dissolutio idem docent; ne reliqua temperamentorum signa afferam. Neque profecto ex toto improbanda videtur veterum doctrina de diuersis humoribus primariis, sanguine strictius dicto, bile, pituita, caet. si praesertim ad affectiones morbosas earumque curationes respe-

xe-

3) Vid. b. H. BOERHAAVIUS in *Institutionib. Med. §. 235.* cuius rationes cum contrariis aliorum satis commode conciliari posse videntur.

xerimus. Videmus enim, alios per naturam suam magis pronus esse ad concipiendum aliquem ex bile morbum, alios ad coryzam, catarrhum suffocatium, vel similes affectus, alios ad haemorrhagias, febres sanguineas, caet. itemque aliorum valetudinem melius curari sanguinis detractionibus, a quibus contra alii laedantur; & sic porro.

§. X.

Sed etiam Solidorum fabrica propria concurrit ad inducendam dispositionem, quae huic catarrhi generi faueat. Deprehendimus enim homines ei saepius obnoxios, quorum habitus strictior est, siue caro, cutis, membranae, caeteraeque partes molles arctius contractae sunt, quamobrem neque ita cedere possunt, neque satis cauorum habent, ut recipient diuque contineant pituitosum humorem, donec paulatim consumatur, vel aliorum amandetur; sed hunc post breuem moram foras exprimant. At qui spongiosi magis habitus sunt, non ita facile cum hac molestia conflictari solent.

§. XI.

Ad pituitam ingenerandam contrahendamque plurimum faciunt vietus, rerum externarum usus, vitaeque regimen: quibus de causis etiam in illis, qui per naturam suam minus ad pituitam conflandam & destillationem idonei sunt, haec oriri & concitari potest. Ea vero, quae

huc

huc maxime valent, sunt 1) quae ipsa multum humoris viscidi secum ferunt, inque corpus important, aut in eo retinent: 2) quae humorem membranae crassiores faciunt: 3) quae constringendo vasa, ex his istum humoris vehementius ad organa secernentia propellunt. Horum autem plerumque plura simul ad rem efficiendam symbolas suas conferre solent.

§. XII.

Ad primam classem phlegmatopoeticorum referenda, quaecunque copiosum chylum siue succum viscidum aut gelatinam largiuntur, vel conficiunt, ac retinent: ut omnia fere glutinosa, excessus in potibus calidis cum lacte & saccharo, oua, iura carnium, laeticinia, placentae, bellaria, cum saccharo confecta, similiaque: praeterea otium, quies multa, somnus frequens & longus, caet. ipse denique quilibet in alimentis excessus, siquidem omnia chyluni subministrant.

§. XIII.

Nam in vniuersum de his rebus notari debet, maxime copiam earum superfluam assumtam, vel excedentem quarundam usum, catarrho producendo velificari: nam quod ultra modum eum, quem necessitas conseruandi corporis postulat, ingeritur, id aliquid relinquit, quod, quum

quum ad usum vitae & valetudinis facere non possit, in materiem morbi, pro cuiusque natura, conuertatur; nisi aliter consumitur. Quapropter etiam, quamvis talia, quae per se pituitae creandae vel augendae idonea sunt, iusta modo mensura capiuntur, non tantum tamen eo faciunt, ac talia, quae per se non quidem ita pituitosae sunt naturae, sed immodice assumuntur.

§. XIV.

In primis otium, quies, somnusque diuturnus plurimum ad hanc rem conferunt, nec non largiores coenae, serotinique potus fermentati, ante eum somnum hausti. Nam sicut motu & exercitatione corporis humor, qui in omnibus copiosius generatur, dissipari consumique debet, ita per otium & quietem illum accumulari necesse est; id que adhuc magis per somnum, sub quo scilicet humor quam maxime conficitur congeriturque. Quodsi hic largiorem cibum ac potum breui excipit, antequam assumtorum abundans copia diminui aptisque viis emitti potuit; humorem mirifice coaceruari, facile intelligitur: id quod etiam clarissime appetit in iis, qui somno post pastum meridiano, portationibusque inter meridiem ac vesperam per otium indulgent.

§. XV.

§. XV.

Secundae classis res sunt eadem, quae prioris, quatenus extrinsecus cum humore gulæ commiscentur: tum quoque in victu similiter adhibita acida, acerba, fermentatione producta, vina, spiritus, & eiusmodi coagulantia alia. Acida ⁴⁾ quidem nonnunquam certas res dissolunt & attenuant, sed posterioribus demum effectibus, dum cum aduersis confligunt: nam primo manifeste condensant atque constringunt, maximeque gelatinam, chylum, & glutinosa coagulant.

§. XVI.

Tertiae quoque classis titulum implet acida, acerba, fermentata, quatenus membranis musculisque applicata, fibras contrahunt, ut humores exprimant. Eodem facit aër frigidus, maximeque, si post calorem, quo pori & caua referata, diducta, humore impleta sunt, subitum frigus irruit.

§. XVII.

Quartam classem constituunt ea, quae sanguinem validius commouent, ut humor ad suum quisque locum, ubi separari consuevit, celerius copiosiusque concitetur. Quo faciunt vina aliaque potus genera valentia, praesertim ver-

⁴⁾ Vid. ANDR. RUDIGERI disp. de Pituita, passim.

versus noctem pota. Idem fit in quolibet aestu nimioque sanguinis motu, vnde etiam in febribus os & fauces multo muco vel humore viscido compleri videmus.

§. XVIII.

His expositis, nunc facilius variorum huius catarrhi symptomatum aliorumque phaenomenorum rationes explicare licet. Quod caput, fauces, adeoque totum corpus graue est, quaedam partes dolent, mens sensusque torpens, aliud minus respondet, vrina cruda est, caet. inde fit, quia pituitosus humor cum sanguine confusus, cum hoc per vniuersum corpus singulasque eius partes meando, partim premit musculos, membranas, & nervos, eoque molestiam creat: partim tam in organis quam in ipsis humoribus obstat: ne singuli humores probe elaborentur, & rite secernantur, neve prompte & expeditate moueantur aut officia sua peragant. Quo magis vero caput primaria pars, quae afficiatur, est, eiusque loci quidam sedem pituitae propriam praestant; eo magis has partes praecipuo quodam modo grauari debere, satis liquet.

§. XIX.

Vt autem, quocunque functionibus rite exercendis officit, naturam ad illud excutiendum sollicitat, ita, si hoc amoliendi negotium paulo impeditius procedit, &

in ipso sanguine vitium haeret, evidentiores spasmi, febres, quaeque ex his pendent, oriri solent. Hinc frigus in exteriore habitu cum subsequente calore nascitur, dum partes sanguinis intentius secum mutuo conflictantur ad pituitam abundantem separandam, suisque propriis locis deponendam.

§. XX.

Nauseant aegri a pituita crassiore glutinosisque potuum aut ciborum reliquiis, iam in vuula, velo, & pharynge haerentibus, & incommodum istum sensum excitantibus. Hic enim loci & in oesophago ventriculoque nauseae sedes est, omnesque hae partes eadem tunicarum fabrica humorumque materia conueniunt consentiuntque, & continuo ductu cohaerent. Quodsi pituitae cumulusasperam arteriam & laryngem a posteriore parte & supra comprimit obstruitue, tunc respiratio suffocatur, & strangulationis sensus oritur. Et mane quidem maxime, postquam electo surrexerunt, nausea subit, quia tunc temporis post somnum peractum, maior humorum copia his locis collecta esse consuevit, praesertim si pastus & potus vberior vesperi proxima praecessit. Ideoque etiam praecipue qui pinguem aut glutinosam cerevisiam vesperi copiosius bibunt, nauseam hanc mucique molestiam mane experiri solent. Ienunium vero potissimum fauet affectui irritando, quia tunc magis solus & liber esse solet iste mu-

cus,

cus, vt fibras & neruos stimulare possit. Idem a potu calido sumto tunc exspectandum est, quatenus hic soluit & accumulat pituitam, neque tamen eam expurgat. Interm etiam alio quocunque tempore similia accidunt, si materiae quod satis sit, collectum est, & quod eam commo- ueat, accedit.

§. XXI.

Obseruatum est, in aetate fere demum virili hoc, quicquid est, catarrhi incidere, neque liberos a parentibus ei vitio obnoxii genitos, antequam isti liberi eam aetatem attigerint, id experiri, quamvis vietu vitaeque regimine minus commodo vni fuerint. Cuius rei ratio ut appareat, commemorandum est, quod in pueris, ante virilem vel adultam aetatem, non tantum solida molliora sunt fluidaque celerius transmittunt atque dimitunt; sed eadem ad iustum quoque magnitudinem, figuram, firmitatem, & caeteras proprietates increscere debent, priusquam eam formam adipiscantur, quae in consistente aetate deprehenditur, atque pituitae certis in locis copiosius contrahendae seruandaque commoda est. Accedit, quod humores in pueris & tenuiores ordinarie sunt, quam vt adeo viscidam pituitam, idque tanta copia suppeditare possint: & corporis incremento perficiendo seruire debent, vereque seruunt; quapropter non ita seorsim certis locis coaceruari poterunt. Ideoque, licet pueri plus

alimenti capiant, quam pro ratione corporis ipsorum necesse videatur, tamen hoc illis vel plane nihil incommodi afferit, siquidem adhuc incrementum a superfluis accipiunt: vel certe multo minus nocet, quam in adultis. In his enim contrariae existunt rationes, & quum ante omnia partes & membra iustum & definitam ea aetate mensuram, modum, ac formam consecuta sunt, adeoque superflua non amplius ad complenda imperfecta impenduntur; sed in locis aptis deponuntur; perspicuum fit, cur tum demum illud pharyngis incommodum proueniat, si praeterea quoque propensio sive dispositio naturalis accesserit, & occasioales causae concurrerint. Etsi vero hae rationes ordinarie pueros fere immunes ab hac molestia praestent, tamen nonnunquam in illis etiam eiusmodi casus obseruare licet, si nimirum similes causae maiores in illis, ut in adultis, exstiterint; quo ipso scilicet iam tum praenunciatur, quid illis aetate maiore exspectandum sit.

§. XXII.

Quae adhuc dicta sunt, declarant, formalem huius affectionis rationem in eo esse positam, ut superfluum pituitae, cum adhaerentibus actione partium stimulatarum ad fauces propellatur, & inde porro urgetur excernaturque. Ex quo simul patet, salutaris indolis esse affectum.

§. XXIII.

§. XXIII.

De signis diagnosticis nihil amplius dicendum videretur, quam quod primis sectionibus iam dictum est. Neque de Prognosi multum sollicitari decet, siquidem praeter molestiam vix quicquam inde periculi metuendum est: Tantum monendum, diuturnum esse malum, & in dispositis vix ac ne vix quidem ita tolli posse, ut non subinde reuertatur. Complicari posse cum raucedine, uuulae prolapso, aliisque catarrhi speciebus, item cum febribus, cum ventriculi cruditate pituitosa, vel & aliis morbis, etiam ex superioribus intelligi potest.

§. XXIV.

In curatione huius mali primum opera danda erit, vt materia faucibus iam illapsa vel inhaerens & praesentes molestias creans auferatur: tum vt augmentum eius praescindatur: deinde vt accidentia, vel coniuncta, corriganter aut leuentur: denique vt nouus materiae prouentus & influxus praecaueatur.

§. XXV.

Ad praesentem materiam remouendam, ipsa naturae molimina ostendunt, & vomitum & sereatum & deglutitionem sive depulsionem per inferiora, adhiberi posse:

hisque viis, sicut gradu vehementiae celeritatisque differunt, ita pro materiae diuersitate, loco, modo, copia, irritatione, vel aliis conditionibus, nunc singulis, nunc pluribus simul, naturam vti; & pluribus quidem fere simul viis, vbi grauius vrget molestia. Secundum hunc naturae ductum etiam a Medente, pro ista rerum circumstantium diuersitate, aliud aliud curationis genus eligendum esse, ratio suadet. Caeterum in leuiore malo potest aliquando totum negotium, sicut in aliis catarrhi generibus, soli naturae permitti, donec paulatim absuntur pituita.

§. XXVI.

Vbi vomitum ciere placuerit, quandoquidem adhuc in gula consistit vitium, ideoque lenioribus emeticis, vel tantum nauseam augentibus, rem perficere licet; his potissimum vti, methodi leges iubent, vehementioribus ab hac opera reiectis; nisi forte ventriculus quoque simili labe affectus, eandem inuersionem postulet. Et locum sane præsertim habet vomitus in iis, qui vespertina compotatione coenaque largiore se impleuerunt: hi enim, ad veterum Romanorum morem, 5) mane, vel etiam ante cubitum, vomere opus habent. Conducunt hanc in rem aqua tepida, maximeque cum sale, melle, saccharo, oleo,
vel

5) Vid. CORN. CELSVS, *de Medicina* Lib. I. Cap. 3. circa medium.

vel similibus: ipecacuanha, vitriolum album vel sal vitrioli, aqua benedicta Rulandi, (cuius quinquaginta vel sexaginta guttae cum totidem guttis essentiae corticum aurantiorum commisceri possunt,) &c.

§. XXVII.

Siue vero vomitu gulam purgare consultum est, siue rationes quaedam id prohibent, (quas quidem rationes seu contraindicationes, ut appellari consuevere, hic ex therapia generali repetere, nihil attinet;) semper expedit calido potu tenui materiam diluere, soluere, atque sic excretionem quacunque via, siue vomendo siue screando siue deorsum ducendo, adiuuare. Screamatum autem ipsum egregie quoque promouent calidae gargarizationes ex apophlegmatizantibus, vt ex aqua cum emollientibus, althaea, malua, ficu, caet. decocta, adiecto pauco nitro, melle, aceto, similibusue. Euporiston est acetum, quod, si nimis acre est, aqua diluitur, tum aliquid sinapios seminis contriti eo dissoluitur. Potentius haec pituitam euocant, si per syringam in fauces impelluntur.

§. XXVIII.

Soluunt pituitam & ad inferiora ducunt Purgantia sic dicta Phlegmagoga, potissimum salina, vtpote quae & melius soluunt, & diutius aluum praestant apertam. Eminent in his salutari virtute sal catharticum Sedlicense, Anglicanum, mirabile Glauberi, caet.

C

§. XXIX.

§. XXIX.

Simili pituitam incidendi virtute, aperiente, & leniter al-
vum soluente, quamquam non proprie purgante, sed potius,
in compensationem, stomachi alia vitia corrigente, com-
mendari merentur radix ari, iridis florentinae, calami a-
romatichi, pimpinellae albae, quibus parum absorbentium
lixiorum salium, cinnamomi, plurimumque sacchari, per-
mixta sint; cuiusmodi compositionem praebet puluis sto-
machicus Birckmanni aut Quercetani dictus, in officinis
pharmaceuticis prostans: qui profecto praeclaram in pi-
tuitoso pharyngis malo opem praestat, si subinde quan-
tum duo vel tria cochlearia minuta capiunt, ex vehiculo
conueniente sumitur.

§. XXX.

Huiusmodi vero remedia vomitoria, apoplegmati-
zonta, purgantia, incidentia, tam diu & tam frequenter
adhibere oportet, quam malum durat & redit. In mul-
tis autem vel diu perseverat, vel post breuem, ex quo
curatum est, moram interpositam reuertitur, in illis nimi-
rum qui strictis diaetae legibus se obligare vel nolunt, vel
non possunt. Quidam enim eam excessus in cibo po-
tuque consuetudinem contraxerunt, vt, nisi ita viuere
pergant, reliquis suis officiis aut negotiis obeundis non
sufficiant: alii, dum inter amicos versari vel conuiuiis in-
teresse necessum habent, ad tales excessus fere coguntur;
quare etiam vtrique catarrhi causas perpetuo renouant.

§. XXXI.

§. XXXI.

Nam ut materia morbi dematur arceaturue, ne vel praesenti molestiae alimentum subministret, vel nouum impetum concitet: opus est, vt & sanguinis pituitosa indoles emendetur, &, ne denuo similem pituitam abundantem contrahere possit, caueatur: & fauces ab adhaerentibus viscidis liberi maneant. Ad omnia haec summa potentia victus & regiminis est, quo causae procatarcticae supra descriptae vitentur, maximeque omnis repletio, praeferim circa vesperam & noctem. Optimum hic praeceptum est HIPPOCRATIS, quo *Sanitatis studium* ait esse, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. 6) Sic enim neque facile quicquam pituitae superantis ingenerari potest, &, si forte propter causas vel occasiones ineuitabiles aliquid natum fuerit, vt si propter vitae genus vel officia ciuilia non semper exacte abstinentem esse licet, si frigidior tempestas inciderit, caet. tamen id abundans parum erit, & exercitatione motuue corporis, abstinentiaque reducta, vel leuiore quoque curatione, facile consumi, difflari, & remoueri poterit.

§. XXXII.

Etenim ad pituitam sanguinis absumendam, dissoluendam, excutiendamque maxime valent motus & ex-

C 2

erci-

6) *Epidemiorum Libro VI. Sectione IV. Commate 41. editionis Lindenianae.*

ercitationes corporis, eo modo, ut vel intra perspirati-
onis tantum insensibilis consistant limites, vel, si
maior humorum abundantia superet, ad sudorem vs-
que producantur & intendantur. Ex qua ratione con-
cubitum quoque in abundantia pituitae conducere, si nihil
prohibet, docet HIPPOCRATES. 7) In eundem
vero finem etiam aliter sudorem, saepe, quoties hu-
mor abundat, prouocare commodum est, vel in lecto,
vel in balneo, vel sumtis sudoriferis, potissimum sic-
cis aut aridis, &c.

§. XXXIII.

Saepe etiam materiem catarrhi purgantibus com-
modis, in tempore datis, subtrahere vel saltim dimi-
nuere licet. Nam & primis viis exoneratis aufertur id,
quod sanguini accessurum erat: & stimulo intestinis in-
cuso humor noxius seu serum ex ipso sanguine copio-
sius ad aluum confluit, hacque via demitur. Inprimis hic
laudandus aquarum mineralium usus, siquidem & alius
inde leniter & per longius temporis spatium soluitur, &
sanguinis partes egregie diuiduntur ac separantur, &,
dum per omnia vasa, vel minutissima, aquae penetrant,
vndique viscidum abluunt, abradunt, atque per aluum
& renes euehunt, Commodus praesertim hic est ille
his aquis vtendi modus, quem Ill. P R A E S E S in Mi-
scella-

7) Epidem. Lib. VI. Sect. V. Comm. 39.

scellaneis vtilibus Hannoueranis (*Hannoverischen nützlichen Sammlungen*) proposuit.

§. XXXIV.

Monendum tamen est, nisi iusta in victu moderatio, quemadmodum antea dictum est, seruetur, sed e contrario, spe emendationis per curationem obtinendae, lautiori diaetae fraena laxentur, fructum ab istis curationibus exspectandum breui, & cum ipso curationis fine perire, prioribusque causis reuertentibus dispositos in eundem affectum recidere.

§. XXXV.

Ne denique viscida vel glutinosa ciborum, prae-
cipueque potuum, in faucibus adhaerescentia molestiam
istam vel creent vel augeant, abstinentem vesperi & in
coena vel post eam inprimis a potu cereuisiae, quae
scilicet eiusmodi glutinosa secum vehit & in gula relin-
quere solet. Suntque homines, in quibus ab hac sola causa
omnis huius affectionis molestia nascitur: Qui postquam
cereuisia reiecta, super coenam, maximeque post eam, nil
nisi aquam puram bibere assueuerunt, incommodo isto, quo
ante hac vehementer conflictati erant, ex toto liberatisunt;
certo arguento, solam istam fuisse causam. In his igitur
haec vna observatio sufficit ad praescindendum malum.
Vnde cognoscitur salubritas praecepti, quod CELSVS⁸⁾

8) *de Medic.* Lib. I. Cap. 2. versus finem.

ponit, iubendo, vt quicquid aliquis in coena *assumfit*
potione aquae frigidae includat.

§. XXXVI.

Quod ad symptomatum aliorumue coniunctorum curationem pertinet, nominatim lassitudinis, doloris capitis, febris, caet. haec quum ipsa morbi, a quo pendent, curatione legitima simul abigantur, nihil proprii desiderant, si tolerari tantisper possunt: tantum, vt in aliis catarrhis, quies seruanda, frigus cauendum, calori contra studendum, potuque tenui calido humores diluendi, viaeque aperiendae sunt. Quae quidem pariter optima sunt, vbi grauiora facta symptomata maiorem diligentiam requirunt: caeterum tunc quoque nonnulla, quae magis proprie ad ipsa symptomata valent, adhiberi possunt, vt refrigerantia, nitrosa, diaphoretica, antispasmodica, ptisana vel hordei aut auenae decoctum, epithemata contra dolorem capitis, &c.

§. XXXVII.

Si vero cum catarro pharyngis alii morbi per se subsistentes coniuncti sunt, vt exempli causa febris alia idiopathica, raucedo, prolapsus uuulae, caet. tunc illi quoque sua propria methodo curandi sunt; videndum tantummodo, ne quid ad alterum genus morborum curandum adhibeatur, quod alterius curationi contrarium sit, sed vt remedia vtrique pariter acommodentur.

© SUB GÖTTINGEN/GDZ



OpCARD 201

